

COMMENTATIONES
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM
GOTTINGENSIS
RECENTIORES
VOLUMEN IV.
AD A. MDCCCXVI — XVIII.



CUM FIGURI S.

GOTTINGAE
APUD HENRICUM DIETERICH.
MDCCCLXXX.

I N D E X
COMMENTATIONUM RECENTIORUM
VOLUMINIS QUARTI.

Praefatio *Io. Frid. Blumenbachii*. Pag. III - XXII

Commentationes classis physicae.

<i>Io. Frid. Lud. Hausmann de arte ferri conficiendi veterum, in primis Graecorum atque Romanorum.</i>	3
<i>Ej. Specimen crystallographiae metallurgicae.</i>	59
<i>Frid. Benj. Osiander de carbone ligneo, summo ad arcendam metallorum oxydationem remedio, novo et certissimo ex- perimento comprobato.</i>	89
<i>Ej. de homine, quomodo formetur, continuatae observatio- nes, spectantes imprimis epidermidem, cutem et pilos fetuum</i>	109
<i>Frid. Stromeyer de polyhalite, nova e salium classe fossi- lium specie.</i>	139
<i>Io. Frid. Blumenbach decas sexta collectionis suae craniorum diversarum gentium illustrata.</i>	159
<i>Henr. Adolph. Schrader de Asperifoliis Linnei.</i>	175
<i>Godofr. Rein. Treviranus de Protei anguini encephalo et orga- nis sensuum disquisitiones zootomicae.</i>	197
<i>Memoria Laur. de Crell auctore Io. Frid. Blumenbach.</i>	203

Commentationes classis mathematicae.

<i>Car. Frid. Gauß theorematis fundamentalis in doctrina de residuis quadraticis demonstrationes et ampliationes novae</i>	3
<i>Ej. determinatio attractionis, quam in punctum quodvis po- sitionis datae exerceat planeta, si eius massa per totam orbitam, ratione temporis, quo singulæ partes describun- tur, uniformiter esset dispartita.</i>	21
<i>Io. Tob. Mayer. phaenomenorum ab inflexione luminis pen- dientium ex propriis observationibus et experimentis re- censio et comparatio.</i>	49

Com-

<i>Commentationes classis historicae et philologicae.</i>	
<i>Frid. Bouterwek de philosophia Euripidea sive de philosophandi generis, quo Euripides in tragoeidiis suis exornans usus est, fontibus ac ratione.</i>	Pag. 3
<i>Io. Godofr. Eichhorn de Aegypti anno mirabili.</i>	35
<i>Arn. Herm. Lud. Heeren de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi. Commentatio tertia, vitarum Romanorum priorem partem continens.</i>	65
<i>Ej. Commentatio IV^{ta}, ducum Romanorum alteram partem continens.</i>	95
<i>Tho. Chr. Tychsen de chartae papyraceae in Europa per medium aevum usu eiusque termino; praemissa illustratione duorum fragmentorum in papiro scriptorum</i>	141
<i>Ej. commentatio altera.</i>	165

Tabulae aeri incisae huic volumini insunt sequentes:

Ad commentationes physicas

<i>Hausmann Specimen crystallographiae metallurgicae</i>	Tab. I.
<i>Blumenbach decas sexta craniorum</i>	LI—LX.
<i>Schrader de Asperifoliis Linnei</i>	I.
<i>Treviranus de Protei anguini encephalo etc</i>	I. II.

Ad commentationes mathematicas

<i>Mayer de inflexione luminis</i>	L
------------------------------------	---

Ad commentationes historico-philologicas

<i>Tychsen de charta papyracea</i>	I—III.
------------------------------------	--------

A D D E N D A.

In comment. cl. *physicas*:
pag. 172. l. 17. post primorum adde inferiorum

IO. FRID. BLUMENBACHII

DECAS SEXTA

COLLECTIONIS SUAE

G R A N I O R U M

D I V E R S A R U M G E N T I U M

ILLUSTRATA

D. XXIII. NOV. MDCCCXVI. ET D. IV. IUL. XVIII.

Cum ante bina et quod excurrit lustra quintam decadem craniorum musei mei exhiberem, vix quidem tot tantaque adhuc nova augmenta istius collectionis expectaram ut selectus saltem rarissimorum et maxime memorabilium sextae adhuc decuriae uberem materiam praeberet.

Crevit tamen ea interim fautorum in primis et amicorum attento studio et liberalitate adeo, ut iam insigne et ad illustrandam generis humani naturalem historiam gravissimum complementum prioribus istis dissertationibus craniologicis subiungere liceat, utpote quo praesertim magna maxime dissimilium craniorum gentilitiorum exhibitetur, quam ad pretiosissima musei mei cimelia refero: alterum nempe pulcherrimum et fere ideale veteris Graeci, alterum vero barbarum et immane Botocudae anthropophagi.


Verum et ex reliquis talia praesertim selegi capita ossea remotissimarum gentium quae illustrando studio anthropologico et ethnico-


ethnographico secundum ea varia momenta quae in fronte decadis quintae enarravi, egregie inservire poterunt; ad demonstrandam v. c. affinitatem gentium quae, sive aetate qua floruerunt, sive terrarum quas incolunt longa distantia valde diversae videntur, ut veteres Aegyptii et hodierni Indi, Samojedi et Americani Cau-rini; aut ad explicandam formam mixtam in craniis hominum quasi hybridorum, ex parentibus nempe diversi stemmatis oriun-dorum, quod Mulattarum est.

M Quae quidem iterum sueto ordine quinarum varietatum in quas universum qua late patet genus humanum proxime ad naturae veritatem dividendum mihi videtur, sigillatim memorabimus.

D. XXII. NOV. MDCCXCVI. ET D. VI. IUN. MDCCXCVII.

Cum aliis plus de tempore exstante juxta definitionem Hesychium, cito
tempore summi mei expeditissimi, sic diligenter hoc communione aliquo
tempore agnoscens illius collectionis expectatione in leproso latente
litteris omnibus ex maxime membranoso ex parte saepe
impetu missum liberopere
Cessit tamen ex necessitate ratione inquit in amorem
affectionis frigido et liporescere adeo in eum impinge ut ea nullius
quam genitus putus in ratiocinatione periculis complice
meritorum quoque illius diffinitiones sensim diffunduntur
sicut, nuptos deo preseverant pugnare maxime difficultate
equilibrium excedunt, dixim ac pugnare multe certe
tunc. Sicutque omnes hypothesis in eis indebet esse
sufficiens, ut etiam ex multis etiam pugnare possit
et scilicet aliquis fisi ex multis etiam pugnare possit
et exigentibus ob eius intelligentiam
varie.





LI. veteris Graeci.

VARIETATIS PRIMAE
SPECIMINA TERRNA.

LI. VETERIS GRAECI.

(— Tab. LI. —)

Praeter crania diversarum quae hodie orbem terraqueum incolunt gentium, etiam antiquitatis populorum capita ossa ad illustrandas generis humani varietates nativas et quatenus vel saeculorum decursu sensim degenerasse dicenda sint, sedulo colligere studui, adeoque plura mumiarum Aegyptiacarum, tum veterum Romanorum, Germanorum, Tschudarum etc. calvarias conquisiui; earumque specimina in primis memorabilia prioribus decadibus exhibui.

Unice veteris Graeci cranio potiundi spem post multifaria sed frustranea tentamina fere deposueram, cum haud ita pridem inopinanti mihi contigerit esse tam felici ut SERENISSIMUS PRINCEPS BAVARIAE REGNI HERES, quem inter alumnos suos habuisse gloriatur alma nostra Georgia Augusta, in itinere Italico praceptoris quondam sui in historia naturali memor, huic eius desiderio penitus et plenissime satisfaceret. Cum enim pro singulari studio quo priscae artis, in primis Graeciae operibus delectatur, inter alia etiam in magna Graecia versatus Reverendissimi Episcopi Nolani museum antiquariorum invisens vasculorum pictorum Graecanicon, quae vulgo Etrusca vocantur, collectioni juncta videret aliquot crania veterum Hellenorum, cum reliquis ossibus et figlinis istis admirandis in hypogeis antiquis a) reperta

et

a) Iconem eiusmodi hypogei a. 1790. in agro Nolano curante W. HAMILTON Equite eruti v. in fronte Vol. I. egregii operis quod amicissimus W. TISCHBEIN tum temporis academiee pictoriae Neapolitanae

Classis Phys. Tom. IV.

X

Director

et curiose asservata, uno eorum apprime formoso ab humanissimo posseffore donatus musei mei anthropologici insignem lacunam ipso explere dignatus est.

Aevitatem equidem venerabilis capitinis praeter cariem vetustatis qua ossa passim exesa etasperata sunt, testantur praesertim nigrae quasi holosericeae maculae quibus hinc illinc distinguitur et quae tenerimis plantulis pulverulentis, *Byssus nempe antiquitatis b)* constare, microscopica indagatio monstrat.

Eximia vero pulchritudo huius cranii, cum icona quam exhibemus accurata per se iam oculos artis peritos feriat, verbosius eam persequi supervacuum videtur. Sufficiat ergo monuisse inter CLXX. crania diversarum gentium, ad quem nempe numerum collectio mea dum haec scribo increvit, praeter illud Georgianaem feminae c) ne unum esse quod eximia forma calvariae subglobosae, frontis nobilissime fornicatae, maxillae superioris ossibus sub narium apertura fere ad perpendicularm coadunatis, iugalibus concinne et modice declivibus, verbo universa vultus venustissima conformatio huic aequiparandum sit.

Si enim verum est ut est verissimum faciei varias formas proxime a cranii quod ipsi pro fundamento est figuraione pendere d), haec de qua agimus calvaria adeo ut cum Nasone loquar

artificum laudatis proxima signis

appa.

Director edidit s. t. collection of Engravings from ancient Vases etc.
1791. fol.

Archetypum tabulae aeneae, artificiose manu C. H. KNIEP calamo pictum, iam museum meum ornat.

b) *Byssus nigra velutina* HALL. Iconem v. in DILLENII hist. muscor. Tab. I. Fig. 18.

c) Dec. III. Tab. XXI.

d) Cf. post alios idoneos iudices doctiss. SALVAGE in splendido opere, *Anatomie du gladiateur combattant*, ubi v. c. pag. 2. Introduct. ait:

"J'ai

apparebit harum rerum peritis, ut vel hocce insigni exemplo ea ultro ad oculum comprobentur quae alias contra nuperorum quorundam opinionem de vultus forma quam *idealem* vocant, et linea faciali veterum Graecorum (— *Griechisches Profil* —) monui e), quam nempe non ad ipsam naturae veritatem, sed ut Quintilianus ait, decore addito supra verum, effictam autument f); cum potius si hoc de quo agitur cranium cum pulcherrimis humani capitis formis contuleris quae in artis priscae Graecanicae omnis generis operibus perfectissimis supersunt, ea utique symmetria et proportione perfecte cum hoc ipso convenire, fateri oporteat.

“J'ai anatomisé sur plâtre deux têtes d'Apollon, et me suis convaincu que son air noble et plein de Majesté dépend absolument du caractère osseux qu'elle comporte.”

et LAVATERI contra querelam in *physgnom.* Vol. IV. p. 247.

“Dass so manche der größten Anatomisten und Zeichner für die so unendlich auffallende, und unendlich wichtige Verschiedenheit der Schädel wenig Sinn haben” etc.

e) *Specim. historiae naturalis antiquae artis operib. illustratae. Commentat.*
Vol. XVI. p. 179 sq.

f) Quam iv. c. DE PAUW in *Recherch. sur les Grecs* T. II. p. 97. “un style de dessin” vocat “adopté dans quelques écoles.”

LII. MUMIAE AEGYPTIACAE TERTIAE.

(— Tab. LII. —)

LIII. INDI BENGALENSIS.

(— Tab. LIII. —)

Cum in itinere Anglo versato musea Londinenia uberem praebarent occasionem tam in Indicis variae aetatis artis operibus quam in veteris Aegypti monumentis, utriusque terrae incolarum vultus gentilitios invicem comparandi, insignem quae passim eos intercedit similitudinem admiratus, posthac ea ad illustrandas veterum Aegyptiorum varias aborigines usus sum g).

Ipsam vero eam analogiam ultro et luculenter probat biga craniorum istarum gentium quae non obstante five aevi quo vixerunt, five terrarum quas incoluere distantia, ita ad amissim interf se conveniunt ut in collectione mea vix ac ne vix quidem alias duas dissitarum nationum calvarias sibi adeo persimiles videre liceat h).

Utrumque caput iuvenile est.


Altero, medicati nempe funeris Aegyptii, supellectilem meam anthropologicam auxit cl. GALL qui id ipsum Vindobonae a doctiss. CRIPPS collegii Iesu quod Cantabrigiae est sodali ex itinere Aegyptio reduce accepisse me docuit; alterum Indi Bengalensis deheo experientissimo OTTONI chirurgo urbico Dantiscano qui illud ex India Cisgangetana reportaverat.

Conveniunt ut universo habitu ita praesertim fronte, facie ad malas angustiore, nasi ossibus parum prominulis sed a glabella leviter decurrentibus, et orbitis amplis.


In


g) *Beyträge zur Naturgeschichte.* II. Th. p. 134 sq.

h) *Conf. coniunctiss. HEEREN Ideen über die Politik etc.* I. Th. 2te Abth. p. 693. ed. 3.



LIII. Mumiae Aegyptiacae 3^{tae}.





LIII. *Indi Bengalensis.*

In mumiae vero capitulo praeterea adhuc tria alia observanda:

Cavum nempe crani omni bitumine vacuum, aequo ac in
mumia Cantabrigiensi a CON. MIDDLETON descripta *i)* et in ea
quae in museo Academiae Georgiae Augustae adservatur *k).*

In vertice vero asphalti reliquiae quibus involucrorum Bys-
sinorum vestigia impressa supersunt, eodem modo quo oculatis-
simus medicus Arabs ABDOLLATIPIH Bagdadensis ea ante hos
sexcentos annos in mumia aliqua obseruasse memorat *l).*

Demumque nares ut in tot aliis veteris Aegypti medicatis
funeribus ad educendum cerebrum sursum pertusae *m).*

i) V. EJ. germana antiquitatis eruditiae monumenta. p. 261.

k) Desideratiss. HEYNE commentat. Vol. IV. p. 14.

l) Historiae Aegypti compend. ex ed. Io. WHITE. Oxon, 1800. 4. p. 151.
"Vidi super calvaria vestigium amiculi feralis, vestigiumque operis tex-
torii, in quo notae apparerent similes iis quae conspici soleunt in cera
vesti impressa."

m) Cf. Dec. IV. ad Tab. XXXI.

: abhauido si VARIETATIS SECUNDÆ etiam
ni S P E C I M I N A B I N A.
LIV. SAMOJEDI.
(— Tab. LIV.—)

Debeo hocce crânum clarissimo NUROW, medico provinciali in celebri Archangeli emporio. Gentis est magnam partem nomadicae longe lateque per Sibiriae occidentalis plagas sparsæ, et hodieque Mongolici stemmatis habitum præ se ferentis. Adeoque et caput de quo agimus facie lata plana, naso depresso, verum et universa conformatio proxime abest ab aliis eiusdem varietatis speciminibus; praesertim autem similis appareat Groenlandorum calvariis quarum bigam Decade quarta exhibuimus *n*). Convenit enim cum his praeter cetera ossium planorum tenuitate et inde maxime pendente totius cranii insigni levitate, nasi ossibus valde elongatis sed angustis, aliisque quae iconum comparatione per se patent.


Verum et ipsam hanc quae Samojedis cum Groenlandis intercedit similitudinem iam ante bina fere secula ex autopsia notavit oculatissimus et accuratissimus naturæ observator, ADAM. OLEARIUS *o*).

Cranio autem quod exhibemus respondet quoque in universum unanimis consensu auctorum autoptarum qui de nativo habitu et charactere gentilitio istius gentis egerunt *p*).


n) Tab. XXXVI et XXXVII.


o) Reysse nach Moscow und Persien. ed. 2. 1656. p. 158.


p) Cf. v. c. post tot alios: *Mémoire sur les Samojedes et les Lappons*, (auctore Russici status Confiliario T. M. DE KLINGSTAEDT) p. 38. et ex antiquioribus classica illa GER. DE VERA *descriptio trium navigationum admirandarum* (WMI. BARENTSZ ad novam Zemblam etc.) p. II b. ed. lat. Amst. 1598. fol. quam quidem versionem (quod obiter monere liceat cum nupsiam observatum meminerim) aequa ac eas itinerum Harrioti in Virginiam et Laudonnerii in Floridam, curavit vir summus et incomparabilis CAR. CLUSIUS.



LIV. Samojedi.







LV. Schitgagani.

LV. SCHITGAGANI.

(— Tab. LV. —)

In litore Americae Caurinae quae nempe Septentrionem inter et occidentem ad maris pacifici partem borealem oblique excurrit in primis memorabilis est sub 57^{mo} latitudinis gradu, Sinus Norfolkii pretiosae Lutrae marinae dives, cuius accolae se ipsos *Schitgaganos* vocant, Russi *Kaluschos*. Curatissimam huius populi, eiusque morum admodum singularium, notitiam debemus viro mei amantissimo auditori quondam dilectissimo, iam Augustissimi Russiae Imperatoris Consuli generali in Brasiliae regno, perillusiti DE LANGSDORFF q), utpote qui Generosissimi DE KRUSSENSTERN per maximam celebris sui periopi partem comes, postea in ipsis Americae borealis occidentalibus oris per integrum fere annum restitit et collectionem meam craniorum ipso hocce Schitgagani ditavit.

Adeo vero memorabilis haec calvaria facie depressa et malarum ossibus late extantibus et quasi alatis insignitur ut tanquam pro specimine ideali Mongolicae ut vocatur, in genere humano varietatis, haberi possit r).

q) V. EJ. *Bemerkungen auf einer Reise um die Welt* etc. T. II. p. 96.

r) Peropportune accidit, ut dum hanc prelo tradenda pararem alterum eiusdem stemmatis cranium ad manus perveniret, priori isti charactere quem diximus nationali simillimum, quod quidem exoptabile munus amicitiae egregii Viri, SAM. PERKINS celebris mercatoris Bostoniensis debo, cuius rogatu Io. BANCROFT navis mercatoriae praefectus cum nuper Norfolkii finum inviseret hocce caput osseum Schitgagani reportavit.

VARIE.

VARIETATIS TERTIAE

S P E C I E N

LVI. MULATTAE.

(- Tab. LVI. -)

Acceptum refero egregium et memorabile hocce cranium viro
cl. FR. BENEKER M. Doctori et chirurgo primario Regii Belgarum
exercitus, qui integro capite Mulattae in nosocomio militari re-
center defuncti me donavit. Viri iuvenis est in colonia Guaya-
nensi Demerari nati matre aethiopissa, patre vero Batavo Haar-
lemenſi.


Cranii forma in universum spectata proxime abest ab ea
quam Batavorum, Germanorum, aliarumque Caucasi stemmatis
gentium capita ossea prae se ferunt, contra vero si forte a maxilla-
ribus ossibus paullo porrectioribus discesseris, vix ullum eorum
characterem in eo invenies quibus alioquin aethiopum calvariae
distinguuntur. Omnia heic quam in Nigritarum craniis latiora;
imprimis calvariae proprie sic dictae ossa, frons spatioſa, tempora-
lium osſum squamae tumidae, bregmata vero amplissima, protu-
berantia.

Novo adeo exemplo characteris paterni, a curatis naturae
indagatoribus tam in ipso genere humano^s), quam in progenie
aliorum animantium mammalium domesticorum^t) observati, quo
quidem constat, in prole a diversi stemmatis parentibus nata,
capitis formam maxime a patre genitore impertiri.


^{s)} Cf. v. c. HACQUETI de Armenis observationem. Dec. V. ad Tab. XLI.


^{t)} V. post DAUBENTONIUM aliosque de re pecuaria auctores inter noſtrates CHR. STURM über die Rägenzeichen der Haustiere. p. 13. C. W. AMMON ad G. FR. SEBALD Geschichte des Pferdes. T. I. p. 147. 157. imprimis autem Jos. AD. BACHMANN doctam commentationem a Soc. Regia a. 1817 praemio ornatam über Züchtung und Kreuzung der Haustiere in promtuario Hannoverano 1818. p. 163.


VARIE-



LVI. *Mulattæ.*







LVII. *Feminæ Coroatæ.*

VARIETATIS QUARTAE

SPECIMINA BINAS

LVII. FEMINAE CORONATAE.

(— Tab. LVII. —)

Vir Generosissimus W. C. DE ESCHWEGE Hassus, Regi Lusitaniae et Brasiliae Praefectus locumtenens architecturae militaris et Director generalis aurifodinarum Capitaniae quae Minas geraes audit, rara opportunitate usus qua per plures annos eam Ameriae Lusitanicae partem incoluit, non subterraneos tantum ditissimi istius regni thesauros sed et alia quae naturalem eius historiam attinent aequae ac barbarorum indigenorum naturam et mores indagandi.

In egregio diatio Brasiliensi ^{u)} cuius hactenus bini fasciculi prodierunt praeter tot alia memorabilia *Coronatorum* ^{x)}, stemmatis Indorum barbarorum, hucusque parum noti, habitum et vitae genus describit, simulque etiam ipsum de quo agimus cranium memorat, quo vir egregius meique amantissimus et auditor quondam perassiduus collectionem meam auxit.

Caput est osseum feminae 20 circ. annorum, cuius cadaver pro more istius gentis amphora figlina conditum et in tugurio quod tum a familia superstite deseritur, sepultum fuerat.

In universum quidem satis simile est crano Brasilianae mulieris ex gubernio Para quod superiore decade (— Tab. XLVII. —) exhibuimus; differt tamen ab eo facie angustiore et magis elongata,

^{u)} *Journal von Brasilien*. Vinar. 1818 sq. 8.


^{x)} Quod *coronatos* significat, nomine Lusitano a capillorum singulari tonsura ipsis imposito.

gata, imprimis autem maxillae superioris ossibus sub narium apertura in prominentiorem cristam coadunatis, quod quidem magni nominis apud Londonenses pictor, BENJ. WEST ad characteres principes physiognomiae gentilitiae Iudeorum refert y), quocum ea bene congruunt quae per ill. DE ESCHWEGE postea in opere laudato de vultu Coroatorum memorat z), quem iudaico adeo similem dicit, ut facies inter eos occurrant, maxime genuinis Israëlitarum vultibus plane aequiparandae.

y) Pluribus de hoc arguento differui libro de generis humani varietate nativa p. 196. ed. 3.

z) P. I. p. 162. 164.

Amherst. MA



LVIII. *Botocudi.*

LVIII. BOTOCUDI

ANTHROPOPHAGI BRASILIENSIS.

(—Tab. LVIII.—)

Unico hactenus exemplo Principem Germanicum SERENISSIMUM nempe MAXIMILIANUM NEOVIDENSEM, qui nuper vidimus historiae naturalis studio, cui et in alma nostra litterarum universitate perassidue incubuerat, remctissimas novi orbis plagas adeuntem, et inter ipsos barbaros Indos diu versantem ut ditisimam rerum naturalium copiam, et quod maius est, uberem de ipsis observationum messem, istinc reportaret.

Inter multifarias accessiones quibus doctissimus Princeps museum meum, ipsi dum scholas nostras frequentabat probe notum, auxit, maxime memorabile et gratissimum refero cranium *Boto-cudi* a) populi ex Tapuiarum gente vere anthropophagi, cuius uberiorem notitiam in itineris descriptione a Serenissimo auctore propediem edenda, avidi exspectamus b).

Viri

a) Nomine ipsis aequè ac Coroatis a Lusitanis indito; et quidem *Botoctidis* a vaegrandibus discis ligneis quorum bi-gam in mire extensis appendicibus auricularum, tertium vero in labii inferioris enormi incisura gestant; cuiusmodi quidem cylindrici orbes, qualibus v. c. ad orifica doliorum obturanda utuntur, vernacula Lusitana lingua *botoques* vocant.

Plures horum discorum quibus isti barbari anthropophagi se insigniunt et quos ex ligno *Bombacis ventricosae* parari Princeps MAXIMILIANUS me docuit, in supellectili mea anthropologica servo, quorum unus, inauris loco gestatus, quod ipsi debeo, IV prope uncias, alias vero labialis ut ita dicam, (quo me cum binis eiusmodi discis inauribus multisque aliis Brasiliensis memorabilibus donavit cel. FREYREISS Francofurtensis, naturalis historiae studiosissimus, in ista novi orbis plaga degens), tres fere uncias diametro transversali aequat, crassitie omnium ad eam digitii accedente.

b) Cf. etiam DE ESCHWEGE l. c. P. I. p. 88 sq.

Viri est 25 circa annorum qui hostilitate qua antea cum popularibus suis in vicinas Lusitanorum stationes irruerat, demum composita, ab eo inde tempore ipsum horum praesidium ad Fluv. dulcem (*Rio doce*) subinde frequentavit, ibique haud ita pridem morbo occubuit.


Cranium ipsum magnum, ex ossium textura densa et dura c) calvariaeque crassitie valde ponderosum, in universum autem dummodo a mandibula inferiore et ab orbitalum figura et intervallo, spina nasalis porrecta aliisque quae homini propria sunt, momentis discesseris, toto habitu proprius ad eam *Simiae satyri* accedens d), quam ullum aliud barbari stemmatis caput osseum in collectione mea visendum, etsi in aethiopum uno alterove maxilla superior magis antrorum promineat, a quibus ceteroquin praeter alia iugalibus ossibus latioribus et bregmatibus extrorsum utrinque tumescentibus differt.


In primis vero memorandus venit scrobiculus quasi digito cerae impressus quo post casum dentium primorum alveoli eorum compressi, imo magnam partem plane absorbi sunt; id quod, ut Princeps me docuit omnibus in universum Botocudis adolescentibus ex perenni gestamine disci istius lignei, de quo modo in nota egimus, contingit, adeo ut vix unquam tricennarium inter eos videas istis dentibus adhuc instructum.

c) Monachus Lusitanus seculo XVI. ad finem vergente ad convertendos Indos in Brasiliam missus, cuius egregium diarium SAM. PURCHASE classicae suae itinerum collectioni inseruit (Vol. IV. p. 1296.) craniorum eorum duritiem his verbis memorat:

"As they goe bare-head, they have the heads so hard that ours in comparison of theirs are like a Pompion, and when they will injurie any white-man, they call him soft-head."

d) Ita et NIC. DU TOICT (s. DEL TECHO in *Relat. tripl. de rebus Indicis* Antwerp. 1654. 8. p. 34.) Caayguas (aliam Brasiliensem tribum ex Cariorum stemmate) tam simius similes quam hominibus vocat.





LIX. puellæ Macassarensis.

VARIETATIS QUINTAE
SPECIMINA BIN A.

LIX. PUELLAE MACASSARENSIS.

(— Tab. LIX. —)

Etsi per se iam rara sit occasio ex adeo remotissimis Indiis orientalibus crania indigenorum acquirendi, longe vero difficultatum est, in tanta gentium varietate ex quibus mancipia, praesertim in Batavorum coloniis conqueruntur, ut de genuina origine eiusmodi capitum ossorum citra omnem dubitationis aleam certus fieri possit. Ideoque inter maxime memorabilia musei mei anthropologici refero collectionem craniorum malaicae praesertim generis humani varietatis, quam, ut iam Decade quinta (— ad tab. XLV. —) memini, carus quondam auditor, doctiss. JASSOV Bataviae urbis physicus et in nosocomio medicus primarius mei causa paravit, subiuncta cuivis capiti nitide purgato uberiore ex actis forensibus et diariis medicis excerpta notitia de origine et vitae genere defunctorum de quibus sumpta erant.

Bina eorum heic exhibere liceat eaque feminea, Macassariense alterum, alterum Baliense.

Illud virginis 22 annorum in Provincia Mandhaar submersione imperfectae, perquam venustae tam statura quam vultu.

Calvaria eleganter subglobosa, frons convexa, glabella plana, lata; nasi ossa depressa, facies panda e); maxillae superioris limbus

e) Cf. graphicam Macassariae feminarum descriptionem in F. VALENTYN Oost-Indien. III. D. 2. St. (Vol. IV.) p. 137. ubi inter alia: "ze zyn door de bank veel schooner, netter besneden van wezen, en veel blanke, dan alle andere Indiaanze Vrouwen — zeer fraai van oogen, mooi, doch wat plat van wezen" etc.

limbus anterior prominulus; inferior mandibula angustior; dentes pigmento masticatorio Indiae orientalis gentibus indigenis usita-
tissimo denigrati f).

LX. PUELLAE BALIENSIS.

(— Tab. LX. —)

Iavae orientali orae vicina adiacet parva insula *Bali* g) ex qua (ut ex tot aliis archipelagi orientalis insulis) numerosa man-
cipia in Batavorum colonias importantur h). Erat in his puella
18 annorum cuius cranium exhibemus quae in Bataviae nosoco-
mio autochira obiit.

Convenit hoc ipsum totali habitu cum Macassariae quod modo diximus, capite; calvaria, fronte, maxillae superioris ossibus antrorum porrectis etc. in primis vero glabellae et nasi ossi eidem subiecti planitie et latitudine.


Differt vero, praeter alias minoris momenti, osseae compa-
gis partes, praesertim mandibulae inferioris arcu obtusiore, latiore.

Dentium autem coronae ut in antecedente aliisque quae pri-
dem exhibuimus *malaicae* varietatis craniis crux fusca, bete-
llinae quam perpetuo mandunt compositionis, obductae.

f) De quo praeter ea quae decade IV, (ab Tab. XXXIX.) diximus, vi-
desis quoque THUNBERGH iter T. I. P. H. p. 255 sq. version. German.
W. MARSDEN'S *history of Sumatra* p. 281 sq. ed. 3. 1811. W. VINCENT'S
Periplus of the Erythrean Sea. Vol. II. Append. p. 52. 735 sq. ed. alt.
1807 et ALARDI *éloge historique de F. PÉRON* p. 34 sq.

g) Überiorem de hac insula notitiam exhibit TH. STAMF. RAFFLES in
history of Java. Vol. II. Append. p. 231 sq.

h) Icones binarum servarum Baliensium v. ap. DE BRUIN *Reizen over
Moskovie* etc. p. 361. tab. 102. 103.



LX. *puellæ Baliensis.*

Piope del. & sc.